



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Explanatio In Psalmos

Complectens primos 25. Psalmos

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Dusseldorpii, [1761]

VD18 15558428-001

Psalmus VIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53377)



PSALMUS VIII.

Titulus : *In finem pro torcularibus, Psalmus David.* Tres Psalmi pro torcularibus inscribuntur, hic, dein octogesima, & octogesima tertius, qui ad amorem Dei præcipuè pertinent. Ex materiâ Psalmorum suspicio est, dici pro torcularibus, quia sunt aptissimi ad exprimendum Vinum Divini amoris cum lætitiâ, jubilo cordis &c. Mysticè Psalmus hic intelligi potest de Ecclesiâ Christi, vel de Martyriis, vel de Cruce Christi.

Argumentum: *Laudatur Potentia, Sapientia, & Benignitas Dei, præcipuè erga genus Humanum.*

✱. I. *Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in universa terra!*

Ex consideratione magnitudinis Dei, rapitur Propheta in admirationem, quòd tantus Deus tanti faciat hominem, qui est pulvis, & cinis, ut eum visitare, & ornare tot, & tantis beneficiis dignatus sit.

Domini-



Domine, hebraicè Jehova, nomen Dei, deductum ab *esse*, juxta illud. *Ego sum, qui sum. Dominus noster*, hebraicè Adonai, h. e. qui est ipse fons tessendi, unde omnia, quæ sunt, derivantur. *Quàm admirabile &c.* b. e. gloria tua, si-ve bona fama nominis tui, diffusa est per omnem terram, cum ingenti admiratione omnium, qui illam considerare fatagunt.

✠. 2. *Quoniam elevata est magnificentia tua super Cælos.*

Ratio, cur nomen Domini tam sit admirabile, est, quia magnificentia Dei nec Cælo, nec toto Mundo capitur. Porro magnificentia principis consistit vel in sumptuosis ædificiis, vel famulatio numerofo, vel copia militum, vel donis amplissimis. Dei Palatium est totus Mundus; alit innumera viventia; donavit Angelis, & donabit Electis Regnum æternum.

✠. 3. *Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, ut destruas inimicum, & ultorem.*

Obje-



Objectio: Si Dei gloria est tanta, unde fit, ut non omnes eam cognoscant, & laudent? Responder David, indè fieri, quòd Deus non dignetur cognosci, & laudari à superbis, qui de suâ virtute præsumunt, sed ab humilibus, & parvulis. Atque hinc crescit gloria, & magnificentia Dei, quòd non cognoscatur, nisi à quibus ipse cognosci voluerit.

Per *Infantes*, & lactentes poteris intelligere humiles, parvulos in oculis suis; Per *inimicum*, ultorem sapientes hujus Mundi, & eorum defensores, qui licèt Deum cognoverint, non tamen sicut Deum glorificaverunt. *Destruas*, non personam, falsam eorum sapientiam.

v. 4. *Quoniam videbo Cælos tuos, opera digitorum tuorum, lunam, & stellas, quæ tu fundasti.*

David ponit se in numero *Infantium* laudantium Deum. *Videbo* &c. h. e. attentè considerabo, & indè Creatorem laudabo. *Opera digitorum* dicit, non brachiorum, ut significet Cælos summâ celeritate factos, item eorum pulchritudinem: quæ enim digitis ~~fiunt~~, subtilia, pretiosa sunt, ad quæ ingeni-
um



um, non labor requiritur. Non meminit Solis, quia David solebat de nocte meditari.

¶ Illud fundasti idem est, ac creasti. *Y. 5. Quid est homo, quod memores ejus, aut filius hominis, quoniam visitas eum?*

Jam extollit benignitatem Dei erga homines. Tu Creator Cæli, & terræ memores. *Visitas*, h. e. Speciali providentia curas; quanquam Incarnatio Verbi est præcipua Visitatio, quæ maxime meretur illam admirationem. *Homo & filius hominis* idem sunt; nisi velis per hominem intelligere Adamum, qui non est filius hominis; & per *filium hominis* nos posteros.

¶ *Y. 6. Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria, & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum.*

¶ *Y. 7. Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves, & boves universas, in super & pecora camporum.*

¶ *Y. 8. Volucres Cæli, & pisces maris, qui perambulant fœnitatis maris.*

Secun-



Secundùm sensum literalem commemorantur tria beneficia Dei erga hominem, ut quòd sit conditus à Deo tam nobilis naturæ, ut parùm distet ab Angelo; dein quòd sit ornatus gloriâ, & honore præ reliquis inferioribus creaturis, quia est imago, & similitudo Dei, ratione, & libertate præditus. Denique quòd acceperit à Deo potestatem, & dominium in omnia opera Dei, præsertim animalia. Per oves, & boves intelliguntur animalia domestica, per pecora campi animalia silvestria, quæ liberè vagantur per campos.

Secundùm sensum allegoricum, quem, teste S. Paulo Hebr. 2. & 1. Cor. 15. à Deo hic intendi certum est, hominem in Christo post illam insignem Dei visitationem, h. e. Incarnationem, minortum aliquantulum ab Angelis ob passionem: absolute autem semper, & ex omni parte Christus fuit Angelis superior, quia coronatus honore, & gloria, h. e. per resurrectionem circumdatus glorioso, & immortali corpore; per admirabilem ascensionem super omnia opera Dei exaltatus sedet ad dexteram Patris, qui ei subjecit omnia. Hoc sensu per oves, &

D

boves



boves intellige omnes fideles; per animalia silvestria infideles; per aves Cæli Angelos, qui in sublime feruntur, & assidue canunt laudes Dei; per pisces maris Dæmones, qui in profundissimis habitant, muti sunt ad laudes Dei, luto, ac humoribus delecrantur.

✠. 9. *Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in universa terra!*

jure igitur, ac meritò exclamavi:
Domine Dominus &c.

PSALMUS IX.

Titulus: *In finem pro occultis filii, Psalmus David.*

Argumentum: *quia ponitur nomen filii absolute, & præcedit nomen occulti, sive arcani, h. e. mysterii reconditi, Psalmus rectè dicitur tractare de unico illo Filio Dei, qui in carne humanâ delitescens, novo belandi genere vicit Diabolum, & exercitum ejus.*

✠. 1. *Confitebor tibi Domine in toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua.*

In toto corde, h. e. laudabo totis viribus,